DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

M. JOANNIS DE GORRIS,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LI.

M. ANDREA-JOSEPHO SERON, Rei Tormentariæ Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

An Medicorum Parisiensium frequentes Phlebotomiæ jure vel injuriâ accusantur?

I.



SCHOLA Parisiensis, Alumna Medicæ veritatis, apud Erasistratæos (*a*) Αἱμοφόϐες frequentioris venæsectionis rea, ad Hippocratis Galenique tribunal, his rationum momentis provocat. Sanguis ut vitæ, sic plerumque mortis author, ex succorum quatuor naturalium æquabilitate (*b*) constat. Horum singuli, aliàs secundùm naturam, aliàs præter naturam consistunt; Secundùm (*c*) naturam, cum decoram & consentaneam, tum qualitatem tum quantitatem obtinent; præter naturam, cum vel qualitatis (*d*), vel quantitatis modum non tenent: Inde fiunt Plethora & Cacochymia: Illa succorum omnium æquabilis redundantia (*e*) est, sive sincerioris (*f*) sanguinis summa ubertas in venis & corporis habitu; hæc vitiositas (*g*) humoris, in omnes & singulas corporis partes diffusa: utraque, quia morbi causa existit, si emendari aliter non potest, protinùs auferenda expellendaque est; at verò illius expulsio, evacuatio est, quæ variis subsidiorum generibus comparatur, quorum primariæ ac præcipuæ sunt Purgatio atque Venæsectio. Prior ex humorum peccantium, & morborum observatione multiplici minùs (*h*) secura; altera observationum paucitate tutior (*i*) atque facilior, sæpe divinos & admirabiles parit eventus (*l*). Purgatio si benignior, rarò desideratos (*m*); validior infelices (*n*); moderata, ut moderatis opportuna, sic in acutis affectibus raræ necessitatis (*o*), solis eorum, velut hostis triumphati, reportandis exuviis efficax est, humore expurgato, cujus acumen & impetum prius fregêre fidâ coctione (*p*), vel Natura, vel Venæsectio, tuta accutissimorum anchora (*q*), & augustissimum Artis Palladium, fremant frendant licet Αἱμοφόϐοι, qui Paracelsi glandes, Hippocratis Galenique frugibus anteponunt.

Confirmationes Theseos ex Hippocratis & Galeni locis.

(a) Gal. Libello toto de venæ sect. aduers. Erasistratum & Erasistrataos. (b) Gal. Comm. 1. in lib. 1. Hippoc. de nat. humana, textu 39. (c) Hipp. lib. 1. de nat. hum. t. 19. 20. Gal. 8. de placit. H & P. c. 6. & l. de plenitud. c. 10. (d) Gal. 9 meth. c. 11. (e) Gal. 13. meth. c. 6. & lib. de plenit. c. 11. & 3. de sanit. tuenda, c. 9. (f) Gal. 2. κατὰ τόπ. c. 3. (g) Gal. 13. meh. c. 3. & 3. de temperam. c. 3. (h) Gal. li. de venæ sect. adver. Eras. c. 7. & comm. 2. in l. de victu acut. t. 11. (i) Gal. Ibid. & l. de cura per sang. miss. c. 12. (l) Gal.

l. de cur. per ſang. miſſ. c. 17. & libello toto. (*m*) *Gal. Meth. c. 15.* (*n*) *Gal. 3. de ſimpl. med. facult. c. 27. 28.* (*o*) *Hipp. aph. 24. ſect. 1.* (*p*) *Hipp. ap 22. ſect. 1.* (*q*) *Gal. de cur. per ſang. miſſ. c. 12.*

I I.

VERUM ut remedium unumquodque, ita Phlebotomiam convenienter adhiberi neceſſe eſt : remedii genus, & utendi modum ſubminiſtrabit Ἔνδειξις idonea, ſine quâ medendi methodus (*a*) fruſtrà tentatur : hæc agendorum inſinuatio eſt (*b*), petenda à rei naturâ (*c*), quæ una (*d*) cum ſit, ab uno unum per ſe & primò ſignificari, non verò plura cenſemus (*e*). Significant (*f*) verò tria; res naturales, ſui maximè (*g*) conſervationem; quæ præter naturam ſunt, depulſionem (*h*); non naturales, pro ſuâ ad utrumuis propenſione, hanc illamve ſibi (*i*) depoſcunt. ἔνδειξις θεραπευτικὴ ſoli debetur præter naturam(*l*) affectui, magno, parvo, par & æquale (*m*) gradu contrarium. Acutis, & magnis omnibus (*n*) venæſectio, ex eorum magnitudine & ægri robore æſtimanda: magnitudo ex affectûs eſſentiâ, ex afflictæ partis præſtantiâ, & ſymptomatum acerbitate (*o*); ſola verò cum virium robore conjuncta morbi magnitudo, primaria eſt (*p*) venæſectionis ἔνδειξις, quia debetur in primis τῷ μεγάλῳ πάθει μέγα βοήθημα. Enimvero cum ſit evacuans, revellens, refrigerans, deobſtruens & expurgans auxilium (*r*), qui magnus morbus eſſe poſſit, qui hâc, aut illâ ratione, miſſione ſanguinis non gaudeat? Utendi modum perfectiùs & exquiſitiùs præſcribet, temperamenti (*ſ*), habitûs (*t*) corporis, ætatis (*u*), anni temporum (*x*), cæli (*y*) ſtatûs (*z*), conſuetudinis, & virium (*aa*) obſervatio; quia συνενδεικνύμενα (*bb*) ſunt ἢ ἀντενδεικνύμενα (*cc*). Eſt hæc apud judices æquiſſimos, Hippocratis & Galeni legibus tam conſentanea lex, ut in morborum ſequentium curatione aberrare profectò ſinat neminem.

(*a*) *Gal. 2. Meth. c. 7.* (*b*) *Gal. Ibidem.* (*c*) *Gal. Ibidem. & 11. meth. c. 15.* (*d*) *Gal. 4. de ſimpl. facult. c. 15.* (*e*) *Gal. 9. meth. c. 12.* (*f*) *Gal. 9. meth c. 14.* (*g*) *Gal. 3. meth. c. 3.* (*h*) *Gal. Ibidem. & 14. meth. c. 13.* (*i*) *Gal. 9. meth. c. 14.* (*l*) *Gal. 4. meth. c. 3. & 4. & 9. meth. c. 9. & 9. meth. c. 15.* (*m*) *Gal. 9. met. c. 15. & 3. meth. c. 9. & 1. κατὰ γένη. c. 3.* (*n*) *Gal. 4. meth. c. 6. & Hipp. 4. de victu in acut. t. 16. 19. & l. de cut. per ſang. miſſ. c. 10.* (*o*) *Gal. 7. meth. c. 12. & 1. de criſib. c. 3.* (*p*) *Hipp. 4. de vict. in acut. t. 19. & Gal. in comment. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 13. & 9.* (*q*) *Aretæus.* (*r*) *Gal. 9. meth. c. 11. & 8. meth. c. 4. & 1. de cur. per ſang. miſſ. c. 12.* (*ſ*) *Gal. 7. meth. c. 13.* (*t*) *Gal. 9. meth. c. 17. & 1. ad Glaucon. c. 14.* (*u*) *Ibidem. & l. de cur. per ſang. miſſ. c. 9.* (*x*) *Ibidem. & l. de cur. per ſang. meſſ. c. 9.* (*y*) *Ibidem, & 1. ad Glancon. c. 14.* (*z*) *Ibidem. & 1. ad Glauc. c. 14.* (*aa*) *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. c. 12. & 9. meth. c. 7.* (*bb*) *Gal. 13. meth. c. 16.* (*cc*) *Gal. l. de cur. ſang. miſſ. c. 13.*

I I I.

PLETHORÆ puræ, ex optimorum ſuccorum pari portione, unicum ac proprium remedium (*a*) eſt Phlebotomia; nec non impuræ quæ cacochymiæ particeps eſt (*b*) ſuccurrit; calidæ quidem bilioſæque plenitudini (*c*) tutiſſimè; parciùs (*d*) melancholicæ; pituitoſæ omnium (*e*) certè minimè : ſimplici quoque venarum cacochymiæ, quæ in venis citrà plenitudinem conſiſtit (*f*) medetur : quæ verò viſcerum vitio genita eſt, aut partis alicujus ſubſtantiam, vel corporis habitum occupavit, medicamento in primis, (*g*) non venæſectione ducenda. His adducti legibus, omnium tum interiorum, cum exteriorum partium inflammationibus venæſectione (*h*) medemur, ſanguinis (*i*) ſputo, incipienti (*l*) tabi, ſanguinis (*m*) vomitioni, & eruptioni quæ ex (*n*) naribus, utero (*o*) vel hæmorrhoide (*p*) pleniùs erumpit; inſuper carbunculis, (*q*) furunculis, (*r*) ſcabiei humidiori, quæque hujus conditionis & naturæ ex impurâ plenitudine emergunt. Illa nec non ſaluberrima eſt febribus omnibus, quas putreſcens humor (*ſ*) accendit; ſed & partium affectus quamplurimos, lethargum (*t*), vertiginem (*u*), apoplexiam (*x*), epilepſiam (*y*), paralyſim, phrenitidem (*z*), cordis παλμὸν (*aa*), acres mordaceſque (*bb*) oculorum fluxiones, vel præſentes miſſione ſanguinis curamus, vel impendentes, conſuetos aut anniverſarios, eâdem antevertimus :

Ad hæc hydropem imminentem à ſolemnis effluvii (*cc*) ſuppreſſione, dolores (*dd*) acerbiſſimos, alvi (*ee*) fluores bilioſos, morbillos (*ff*), peſtem atque (*gg*) peſtilentes febres: tam illa ſe latè diffundit graviſſimorum affectuum medicatrix φλεϐοτομὶη; non ſeni, puero vel prægnanti (*hh*) inimica; non diuturnis morbis (*ii*) adverſa: omni acutorum (*ll*) tempore, demptâ, (*mm*) nec dèmptâ (*nn*) declinatione procuranda.

(*a*) *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. c.* 6. *& comm.* 6. *ad aphor.* 47. (*b*) *Gal.* 9. *meth. c.* 5. *&* 11. *&* 8. *meth. c.* 4. *&* 4. *de ſanit. tuend. c.* 4. (*c*) *Galenus ibidem, & libro de cur. per ſang. miſſ. c.* 10. *&* 3. *de loc. affect. c.* 7. (*d*) *Gal. de ſanit. tuend. c.* 4. *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. c.* 6. *&* 9. *&* 10. (*e*) *Gal.* 8. *meth. c.* 4. (*f*) *Gal. l. de purgant. Medic. Facultat. cap.* 5. (*g*) *Gal. l. de cur. per. ſang. miſſ. c.* 8. *&* 19. *& comm.* 1. *ad aph.* 23. *& lib. toto* 13. *meth.* (*h*) *Gal. l.* 5. *meth. c.* 8. *&* 13. (*i*) *Hipp.* 5. *Epid. initio, & Gal. comm.* 3. *in* 6. *Epid. text.* 29. (*l*) *Gal. l. de venæ ſect. adverſ. Eraſiſt. c.* 8. (*m*) *Gal, l. de cur. per ſang. miſſ. c.* 11. (*n*) *Gal. ibid. &* 5. *meth. c.* 3. (*o*) *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. c.* 19. (*p*) *Gal.* 14. *meth. c.* 10. (*q*) *Gal.* 5. *κατὰ πὰ. c.* 7. (*r*) *Gal.* 11. *meth. c.* 15. (*ſ*) *Gal.* 13. *meth. c.* 21. (*t*) *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. c.* 10. 7. *&* 19. (*u*) *Ibid. c.* 7. (*x*) *Ibid. &c.* 10. (*y*) *Aëtius Tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 8. *& Trallian. l.* 1. *c.* 6. *& Ægin. l.* 3. *cap.* 18. (*z*) *Gal.* 13. *meth. c.* 21. (*aa*) *Gal.* 5. *de loc. aff. c.* 2. (*bb*) *Gal.* 13. *meth. c.* 22. *&* 4. *κατὰ πὰ. c.* 1. *&* 8. (*cc*) *Hipp. l. de victu in acut. & Gal. comm.* 4. *in eum lib. t.* 3. *& c.* 5. *de venæ ſect. adverſ. Eraſiſtr.* (*dd*) *Gal. comm.* 1. *ad aphor.* 23. (*ee*) *Gal.* 2. *ad Glauc. c.* 2. *&* 7. *meth. c.* 11. (*ff*) *Avicen. l.* 4. *fen.* 1. *tract.* 4. *c.* 10. (*gg*) *Gal.* 14. *meth. cap.* 10. *&* 11. *meth. c.* 15. *& comm.* 3. *in* 1. *Epid. t.* 26. *&* 1. *de differ. febr. c.* 4. (*hh*) *Celſ. l.* 2. *c.* 10. *& Gal. lib. de cur. per ſang. miſſ. c.* 13. *& comm.* 4. *in lib. de victu in acut. text.* 19. (*ii*) *Gal. comm.* 4. *in lib. de vict. in acut. t.* 19. (*ll*) *Gal. l. de cur. per ſang. miſſ. cap.* 20. (*mm*) *Gal.* 3. *de criſib. cap.* 5. (*nn*) *Gal. lib. de cur. per ſang. miſſ. cap.* 21.

I V.

QUID ſi verò pluries repetitâ, nondum ſatis accedat ægro levamenti? Non ſunt venæſectiones numeris, ſed neceſſitatis legibus (*a*) metiendæ: Artem ϛοχαϛικὴν facit maximè, (*b*) obſcura remedii quantitas; neque ad miſſionem ſanguinis idoneam, certam ubique fidem dederint commemorata συνενδεικνύμενα, Non ſanguinis color (*c*) & qualitas, non ipſe defectus animi, (*d*) vel pulſûs (*e*) mutatio, verùm aliæ potiores obſervationes adhibendæ ſunt, ad quas dirigi curantis conſilium debeat; ſed quàm, vel peritiſſimo Medico illud perarduum! niſi ſpectetur non quæ ætas (*f*) ſit, neque quid in corpore intùs geratur, ſed quæ vires ſint. Poſt quater quinquieſve iteratam ſanguinis miſſionem, æger ſynocho pariter exæſtuat, pleuriticus anhelat, angina fauces angit, quis decoctis, quis juſculis alteratis, quis illic purgationi locus (*g*), ἀξίως τῆς περιϐολῆς (*h*) της νόσου? Quin pro virium ratione, toties (*i*) venam tunde λαυρῶς, ἰσχυρῶς, ἢ κατὰ ἐπαφαίρεσιν, vel quia ſic jubet ratio (*l*) magnitudinis; vel quia extremis morbis extrema exquiſitè remedia (*m*) debentur; vel quia ſpes dubia certâ deſperatione (*n*) potior eſt; vel quia denique nullum phlebotomiâ liberâ & liberali (*o*) præſentius remedium; ſed ô frivolam & inanem Αἱμοφοϐίαν; ſanguinem, aduſque λειποθυμίαν, Hippporates (*p*) & Galenus (*q*) miſère, nos haudquaquam; illi librarum, nos unciarum ponderibus. Meminit Galenus ad ſex uſque libras detractum ſanguinem, (*r*) ſic reſtinctâ febre: aliàs in oculorum phlegmone (*ſ*) tres primùm libras miſit, horis dein quatuor exactis libram, undè ſalus illicò ſequuta; nec non mulieri longo morbo attenuatæ, deridentibus licet Medicis, (*t*) ſeſquilibram primo die, libram altero, tertio uncias octo detraxit, ſic ſalute reſtitutâ. Quantùm denique illius in adoleſcente, qui perfrigeratis reſpirandi inſtrumentis, (*u*) in αἱμόπτυσιν copioſam incurrerat, miſſione ſanguinis biduò quater repetitâ; ſed & tabidum, ſecta, ἕως ἔξαιμος ἐγίνετο, in utrâque manu venâ liberavit Hippocrates (*x*), venæſectionis amator (*y*) eximius. Eſt igitur iteranda phlebotomia, quoties (*z*) vires ferent, & morbi magnitudo poſtulabit, etiamſi morbi dies vigeſimus agatur.

(a) Gal. 9. meth. cap. 5. & lib. de cur. per sang. mission. cap. 20. (b) Gal. lib. de cur. per sang. mission. cap. 12. (c) Gal. lib. de venæ sect. advers. Erasist. cap. 7. (d) Gal. comment. ad Aph. 23. (e) Gal. lib. de venæ sect. advers. Erasist. cap. 7. (f) Cels. lib. 2. cap. 10. (g) Gal. comment. 2. in lib. de vict. in acut. t. 11. (h) Hipp. 1. Epid. sect. 2. & 2. Epid. sect. 2. (i) Gal. 9. meth. cap. 5. & lib. de cur. per sang. mission. cap. 12. & comment. 2. in lib. de vict. in acut. text. 11. (l) Gal. de cur. per sang. mission. cap. 13. (m) Hipp. aphor. 6. sect. 1. (n) Cels. l 5. (o) Gal. comment. 1. ad aphor. 23. (p) Hipp. aphor. 23. sect. 1. & 5. Epidem. initio. (q) Gal. lib. de cur. per sang. miss. cap. 12. & 14. meth. cap. 10. & comm. 1. ad aphor. 23. (r) Gal. de cur. per sang. miss. cap. 12. (s) Gal. lib. de cur. per sang. miss. cap. 17. (t) Gal. comment. 3. in Epid. text. 29. (u) Gal. 5. meth. c. 13. (x) Hipp. 5. epid. initio. (y) Gal. comm. 1. in lib. 3. Epid. ægrot. 1. art. 3. (z) Gal. 9. meth. c. 5. & lib. de cur. per sang. miss. c. 20.

V.

HIC excandeſcis, Αἱμοφοϐε, nullum ſcilicet Aſtralibus tuis, Sali Mercurio atque Sulphuri locum derelictum vides. Sed contemplâre temetipſum, quoties tibi de nare, vel hæmorrhoide, vel accepto vulnere: quoties menſtruali, vel puerperæ, ad x. & xii. librarum pondus ſanguis exceſſit vitâ incolumi; habere corpus hominis εὔσαρκον probeque temperatum ſanguinis libras xxv. ſcripſit Avicenna: Vidit Amatus, (a) quorum è naribus fluxerint per dies quinque, (b) libræ xx. & xxii, exiguâ virium offenſâ: Scripſit (c) Donatus in muliere, ſeptem & octo menſium ſpatio, iteratam bis & ter phlebotomiam ſeptimanis ſingulis, ad uncias ſeptem & octo, vitâ ſuperſtite: Vidi cui Anginoſo detracta fuere triduo xlviii. ſanguinis vaſcula, ſanitate reſtitutâ: Tedet hujus claſſis infinita Lutetiæ Pariſiorum exempla recenſere: Quid ſi verò inſuper haud levibus argumentis evincam, ex liberaliore, ſeu Pariſino victu, gigni quotidie in nobis ſanguinis quaſi libram, & à membris exſorberi? Sed iſta captum ſuperant imperitæ multitudinis, quæ huc ſolum novit infamare præſidia, quæ non dedere omnibus ſalutem, quaſi ſi quis artem Medicus, is & artis eventum præſtare ſemper debeat, nec ſua cuique ſit μοῖρα πεπρωμένη. Hanc ignaræ plebi mentem injiciunt Pſeudomedicorum ſuſurri, qui jam Galeni amorem & doctrinam excuſſêre, Hippocratem cœperunt odiſſe, ut Paracelſum ἀμέθοδον obtrudant: Sed erit antiquæ veritatis fautrix & vindex Schola Pariſienſis; tuos, Αἱμοφόϐε, rumores contemnet, qui dum animoſitatem, quâ in eam tenêris, viceris, tum demum, veritatem tenere poteris, quâ vinceris.

(a) Amatus Luſit. centur. 2. curat. 100. (b) Ibidem, & in ſcholio. (c) Marcellus Donat. lib. 4. cap. 3. hiſtor. mirabil.

Ergò Medicorum Pariſienſium frequentes Phlebotomiæ non jure, ſed injuriâ accuſantur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus-de-Paulâ Combaluſier.	M. Jacobus Barbeu du Bourg.	M. Carolus Payen, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.
M. Hugo Capet.	M. Joannes-Jacobus Meſſence.	M. Tuſſanus Gilbertus Poulland, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Caſtelleto.
M. Petrus-Auguſtinus Adet.	M. Carolus-Franciſcus Theroulde de Toulouſe de Vallun, Eques.	M. Gaſpardus Cochon Dupuy, Regis Conſiliarius & in Arce Maritimâ Rupiforteñſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Regius.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA BARJOLLE, Salmurienſis; Doctor Medicus Monſpellienſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.